

viduaris, ut neque templum Dei sis, neque spiritus ejus habitet in te, Christus non Salvator hominis venit, sed abactor: quod quidem dicere prohibet fas divinum, et majestatis ejus æternitas non admittit. Si enim templum ejus non sumus, neque spiritus ejus in nobis est, quid ei et nobis est? Si enim ejus

sumus, utroque ejus sumus, et anima et corpore, et est illud verum ac catholicum sancto ore prolatum *Omnia in omnibus Deus* (I Cor. xv, 28): qui unus et solus principium est, omnipotens sine initio, et universi totum, infinitus per omnia. Cui est honor et gloria.

VICTORINI

DE VERBIS SCRIPTURÆ: FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES UNUS.

COEPERITNE A VESPERA DIES, AN A MATUTINO.

I. Si divinæ scripturæ simpliciter legerentur, numquam lectio cujusquam capituli ab aliquo male intelligeretur, sed ut se continent pie et juste unanimiter susciperentur. Cessabat philonica disputatio, cessabat et syllogisticus sermo, cessabat omnis superstitiosa adinventio: nec unquam agnosceretur in quocumque hominum tenebrosa collatio. Omnes unum sentirent, invicem sibi acquiescerent, eadem profiterentur, ut lucidissima lectio se declarat. Namque carus noster et amicus fecit nobis quæstionem, utrum totus mundus competentes sibi horas haberet, necne: « Denique, ait, ego enim dico, si hic prima hora est, totum mundum prima hora teneret. Nam absurdum mihi videtur audire diversas horas dici per quatuor partes terræ contineri. Dico autem cum sicut omnes habitabiles, quomodo probari mihi potest unam horam non omnes homines possidere? Sed dico, cum hic dies sit, ostendite mihi in qua parte noctem esse asseveretis, quando totæ plagæ cœli per diem inlucidentur. Nec enim Moyses aliter nos docuit libro Geneseos, quam ut dies, dies toto mundo esset, et nox, nox orbem universum tenebris obtineret. » Itaque, amice, si sufficiunt ad quæstionem hæc quæ a te dicta sunt, peto ut concedas patienter, et audias a nobis quæ vera sunt. Sed non quo deprehendas humana commenta, quam magis approbes divina esse dicta. Unde si auctoritatis inventa fuerit lectio, locum nobis concedere habes dicendi, ut possis planius ediscere, qualiter beatissimus Moyses breviter de die ac nocte significaverit. Namque et Salomon docet nos dicens: *Bonus spiritus tuus est in omnibus; propter quod quicumque errant, partibus corripis: de quibus autem peccant, admones alloquendo, ut relicta imperitia credant in Dei verba* (Sup., xii, 4). Omnis enim scriptura spiritu Dei inspirata, dicit Apostolus Paulus quia indiget interpretatione (II Petr. i, 20). Nam et *Apollo potens in Scripturis* (Act., xviii, 24) erat maxime, qui et spiritu fervebat: et tamen hunc apprehenderunt Aquila et Priscilla, et diligentius illi viam Domini manifestaverunt. Facile enim sapientes reprehenduntur. Scit enim Dominus cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt.

II. Pandimus itaque singula quæ lectio Geneseos doceat. Sed longum est sermonem de his quæ supra dicta sunt facere: et de cœlo ac terra, tenebris et abisso, aqua et spiritu disputare intermittamus, quia necdum tempus est aliquid de his dicere, quam nunc magis ad proposita respondere atque satisfi-

cere. Est quidem quod tenebræ totum mundum possidebant, ut lectio superiori textu declarat. Sic namque dictum est: *Fiat lux, et facta est lux* (Gen. i, 5). Requiritur a sapientibus ubi facta sit lux: nec enim tenebræ substantivæ erant, ut philosophi dicunt, et figuratio quædam materialis in illis erat: nihil sunt. Sed absit a nobis cum illis aliquid sentire, quando divina scriptura dicat Deum creasse tenebras et fecisse cœlum. Quod ergo a Deo fit, substantivum esse creditur. Unde si substantivæ sunt, non luce facta in nihilum redactæ sunt. Sed neque simul mixtæ sunt, quia utrumque substantiæ sunt, quæ sibi contrariæ hodieque sunt, ut calidum frigidum, vel dulcedo amaritudini. Sed quando temperantur invicem, sibi necessaria esse dignoscuntur. Cesset itaque calumnia, si secundum substantiam contrarias diximus, sed necessarias in gignendi creatura, et requiescendi ab operibus omnibus esse. Ostendimus tamen luce facta tenebras non ablatas, sed immo docet Scriptura in parte eas redactas, hoc est in medio orbe condensatas, ut lux facta mediam partem mundi illuminaret. Nec enim Dei substantia est lux mundialis, quæ facta est ut totum orbem possideret. Alia autem lux quæ vera est, quæ totum mundum illuminare potest, de qua Evangelista dicit: *Est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. i, 9). Vera itaque lux illuminat totum mundum, quia tenebræ cedunt locum suo auctori: sicut et sol a vero lumine obscurabitur, tenebrisque contegetur. Illa autem quæ vera lux necdum est, ideo mundum universum suo apice desemel illuminare non potuit, immo non debuit, ne dies definita esse adjudicaretur, sed momentis horarum velociori cursu statueretur. Infirmas enim creaturæ apparet totum mundum non posse circumvallare, ideoque partibus hodieque dignoscitur peragrare.

III. At vero, si totum orbem luce sua possideret, nequaquam horam in die aliquam demonstraret: quandoque totum mundum illuminaret, non erat quod perambularet. Secundum hanc rationem, quam disputavimus, recte intelligere poterimus prophetam Moysem dicentem: *Et separavit Deus inter lucem et tenebras* (Gen. i, 4). Quid autem est separare, si non distantiam inter hæc facere? Qui si distantia instituit et contra alterum, et ea ipsa in divisione esse decrevit, ita ut lucem vocaret diem, tenebras vero noctem, aliud nunc audimus ex alio appellatum. Cur vero aliud non erat gratum, si quod primum denuntiatum

est sufficeret? postea vocaret diem tanquam in mentem illi venerit. Sed absit a nobis nolle requirere manente predicto nomine diem appellari: quod subsecutus est utique duodecim horarum spatium conclusit significare. Nec enim dies hodie si dominica appellatur, sine horis competentibus definitur. Cum ergo diem dicis, horarum quaecumque definitam usque ad vesperam statuis. Ita dominus meus Moyses lucem vocatam dicit esse diem, ut nos non sine officio duodecim horarum usum quotidianum dictum fuisse dignosceremus. Denique subsecutus ait: *Et factum est vespere, et factum est mane dies unus* (Gen., 1, 5). Quod si vesperam et postea diem factam appellat, consummatas horas facturæ illius designat. Namque Salomon in libro Ecclesiastes interrogat: *Quid est quod factum est? ipsum quod fiet: quod autem fuit, ipsum est quod futurum est* (Eccle. 1, 9).

IV. Igitur, amice, si hodie dies ita definitur, quare non credamus prophetæ dicenti ipsum in initio factum esse quod hodie fiat: nihil novum sub sole esse, neque adjectum aliquid esse, neque diminutum? Manet vespera usque in matutinum, noctisque horas adimplens, et sic una dies definita appellatur, in quo matutinum non primi diei esse dicatur, sed secundi initium invenjatur. Requiritur autem utrum in die Dominus noster operatus est, an in nocte? Certe si in die, matutinum istud non primi diei esse adjudicatur, quando firmamentum cæli in eo fieri mandatur. Si autem secunda die firmamentum factum est, secundi diei matutinum esse apparuit. Æquilibratio enim diei et noctis definita extiterat: propter quod unus dies in numero appellatus erat. Iterum dicit scriptura: *Congregetur aqua in congregatione una, et pareat arida* (Gen. 1, 9), quam germinare mox præcepit herbam pabuli secundum genus suum, et ligna fructifera. In quibus factum est vespere, factum est et mane dies tertius. Itaque si matutinum istud de die tertia suscipis, cur dicit Scriptura: *Fiant duo luminaria in firmamento cæli, sic ut luceant super terram in inchoatione diei et noctis: ita ut dividantur inter diem et noctem, et sint in signa, dies et tempora et annos?* (Ibid., 14). Nullus autem hominum legem sciens, qui tibi consentiat tertia die solem et lunam factam fuisse.

V. Forte si te ipsum interrogem, respondebis mihi quarta die facta esse, et contendes matutinam istam de tertia die esse. Quæ matutina vere de tertia die si fuisset, numquam priores nostri quarta die factum solem et lunam professi fuissent. Qui si quarta die facti sunt, matutinum istud non de tertia die est, sed de quarta, in qua sol et luna et cætera facta sunt. Denique dividunt inter diem et noctem in inchoationibus suis. Sic enim æquilibravit inter eos auctor eorum, ut tantumdem mundi spatium tenerent, percurrerent: non quo adimpleto officio receptaculum haberent requiescendi, sed immo suis limitibus incessabiliter currunt. Namque sol quod per annum ambulat, luna illud triginta diebus currere dignoscitur. Peragrantes cyclum orbis ad punctum

A priorem reversi sunt, unde processerant. Non ergo pausaverunt cum totum cyclum cucurrerunt: aut doce scriptum esse, et ego conquiesco. Sed non doces, quia nec invenis, sicut Salomon dicit: *Oritur sol, et occidit sol, et ad suum locum revertitur. Ipse oriens vadit ad Austrum, et gyrans circumit usque ad Aquilonem* (Eccle. 1, 5). Si existimas occidere solem, redde nobis rationem quomodo ad suum locum revertitur. Unde si subterfugit te sensus falsa estingere, crede Salomoni dicenti ipsum orientem ad Austrum ire, ita ut gyrans perveniat ad Aquilonem: *Quia gyrans gyrando peragrat spiritus, in circuitum suum convertitur spiritus* (Ibid., 6). Quid apertius poterimus nos disputare, quando propheta paucis verbis quæstionem nostram deliniaverit, spiritum esse qui gyrans gyrando incessabiliter orbem totum peragret? Sic dies unus definitur, et ad alium matutinum transitur, propter quod in dies, menses, annos instituti sunt.

VI. Fac tibi de cætero satis, et consenti parentibus nostris prioribus hæc tradentibus quæ supra memorati sumus, lucem istam non totum orbem tenere, sed medium. Et ideo quacumque sol respexerit, diem et horas fieri. Ita cum peragrans agrando delato spatio horas mutet. Quod si verum est, ubi matutinum factum fuerit, manere diutius non poterit ibi matutinum: quia cum sol ambulat ad alia loca, horæ semper se mutant, et ita fit ut perveniatur ad vesperam. Sequens vero est in officio noctis quod horæ suppleat. Sed cum matutinum oriri videmus, defectum tenebrarum esse recognoscimus, et quando vespera fit, dies occasum patitur. Sic enim climata cæli distinguit inter diem et noctem, ut quacumque parte sol gressum fecerit, matutinum habeatur: totidemque luna ubi peragravit, vespera esse agnoscatur, quæ sequentis diei esse dicitur. Stultum namque est audire noctem priorem secundum vesperam factam fuisse, postque matutinum ortum esse. Quod si vespera prior facta fuisset, non aliquem noster legislator reveritus esset, unam noctem in numero noctium illam pronuntiare. Nemo quod primum et principale habet contemnit illud enuntiare, et id quod subsequens est audiat nominare. Itaque si ab hominibus nihil tale deprehenditur, quomodo a vobis reputatur ut matutinum posterius factum dies unus appelletur? Quare non profiteris quod prius legisi, lucem factam et diem appellatam, postque tenebras noctem vocatam? Non ergo ante nox facta est, quam dies. Sic nec vesperam credere debes, quam matutinum diei primum intelligas factum fuisse.

VII. Quod autem matutinum scriptura tacuit, rationem pandit quando lucem fieri præcepit. Quid autem ortus lucis ostendere potuit, si non matutinum esse definitum? Nec enim dies extra matutinum appellari potuit: recteque dicimus, Deus cum lucem vocavit diem, matutinum intra eum conclusit. Namque finito die vespera oriri cœpit, quæ nocte tota operando perveniret ad matutinum de secundo die, in qua firmamentum fieret. Et licet de tertia et quarta die, in qua solem et lunam fabricavit, dispo-

taverimus; tamen plenius requiramus in qua die homo factus sit, utrum quinta die aut sexta, ut inveniat vespera si prior est a matutino. Dixit enim Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit Deus hominem: ad imaginem Dei fecit illum: masculum et feminam fecit eos, deditque illis omne pabulum ad escam. Et factum est vespera, et factum est mane dies sextus* (Gen., 1, 26, 27 et 31). Unde si matutina ista de sexta die est, homo ergo quinta die factus est. Nam si sexta die factus est, approbatur matutina ista de septima die esse, in qua Deus requievit. Quod si minime, redde mihi hic opera sexti diei ubi sunt, quo consummata sunt omnia quæ die sexto facta esse dixi. Quinto autem die invenio aquas produxisse, reptilia atque volatilia; non hominem, qui de terra factus cum quadrupedibus et bestiis terræ. Quod si quinta die homo cum supradictis factus est: neque ea quæ aquæ prodixerunt invenimus, neque illa quæ sexta die consummata sunt. Et quomodo Scriptura dicit septima die requievisse Deum ab omnibus operibus suis, quando invenio post hominem et ea quæ cum homine sunt facta, consummatam esse omnem operam quam Deus initiaverat facere? Itaque si quinta die homo et supra memorata facta sunt, quinta die

A omnia consummata invenimus esse, ut sexta die definiamus, Deum ab omnibus operibus suis requievisse. Quod si post aquarum creationem intelligas vesperam, invenire poteris non quarti diei principia, sed quintæ noctis initia. Quod si verum est, matutinum istud, quod post vesperam appellatum est, non ad quintam diem pertinere, sed ad sextam, quia in eo scriptura docet nos, quod homo factus est. Unde post facturam ejusdem hominis vesperam factam dicit, et matutinum, quod vere septimi diei est principium. In ipso enim matutino requievit Deus ab omnibus operibus suis, quæ cœperat facere: non in vespera quæ sexti diei sequentia erat. Tu nunc, amice, perspice planius lectionem, et fac animo tuo satis, non posse noctem præponi diei, sic neque vesperam matutino, in quo actus et opus diei definitum ostenditur, et sic vespera prosecuta appellatur. Denique post sexti diei vesperam cessavit mentionem facere ex ipsa, sicut de matutina, quam aperte lucideque septimanam diem propheta denuntiavit ipsam esse. Unde si non ipsa, tu nunc doce de dilectione septimam vesperam, ut sequatur illam et matutinum. Quod si non invenis, crede lectioni septimam diem ipsam esse, quæ post vesperam matutinum appellata est.

CANDIDI ARIANI

LIBER DE GENERATIONE DIVINA,

AD MARIUM VICTORINUM RHETOREM.

I. Omnis generatio, o mi dulcis senectus VICTORINE, mutatio quædam est. Immutabile est autem omne divinum, scilicet Deus. Deus autem qui pater est in omnibus, et omnium prima causa est. Si igitur Deus, inversibile et immutabile: quod autem inversibile et immutabile, neque genitum est neque generat aliquid. Si igitur hoc sic se habet, ingenitus est Deus. Etenim generatio, per conversionem et per mutationem generatio est. Nulla enim neque substantia neque substantialitas, neque existens neque existentis, neque existentia neque existentialitas, neque potentia, ante Deum esse, fuit. Quis enim potentior Deo? Num potentia, aut existentia, aut substantia, aut *δύς*? Ista enim omnia, aut ipsum est quod Deus est, aut post ipsum. Ipse enim cuncta præstat. Sed fuerint prius ista. Et quomodo potuerunt, cum D voluerunt, Deum generare? Neque enim erant perfecta, neque sui ipsa substitutiva. Imperfecta igitur. Quomodo ergo sua et ipsorum potentia aut genuerunt aut fecerunt Deum, imperfecta cum essent, perfectum? Si autem Deus imperfectus, sine causa est generare, quod jam fuit. Eadem ratio, si perfecta perfectum genuerunt. Sive igitur perfecta fuerunt, sive imperfecta: Deum generare, aut sine causa, aut per superfluum, aut impossibile. Primo quidem antiquius dicitur, ab omni quod est potentia: sed ad ipsum esse aliquid, sine actu et operatione, non pervenit potentia ipsa per semetipsam; cum sit potentia, non actio; non potentificata potentia in gene-

rationem alicujus, nedum in Dei. Manet enim potentia in eo, quod est potentialiter esse, sine actione. Unde igitur natus est Deus?

II. Videamus igitur, num fortasse substantia, num substantialitas, antequam Deus fuit, fuerit? Num existentia, num existentialitas? Sed enim substantia subjectum cum sit, alteri subjectum est, ei quod in ipso est: et ut alterum est, ab eo quod in ipso est. At vero aliud et aliud non recipitur circa Deum. Non enim in alio, ut aliud est, Deus est. Non enim aliud Deus, aliud Deum esse. Simplex enim quiddam, Deus: non igitur ex præexistente substantia. Ingenitus ergo Deus. Magis enim præstat Deus substantiam, quam præexistit substantia ante Deum: quæ quidem est subjectum, et alterius, ut aliud, et ut receptaculum effecta: illo scilicet potior, cujus est receptaculum, et idcirco posterius adnata. Ista eadem oportet intelligere ex existentia et existentialitate. Differt autem existentia ab existentialitate, quoniam existentia jam in eo est, ut sit jam esse ei: at vero existentialitas potentia est, ut possit esse quod nondum est. Multo magis autem differt existentia a substantia: quoniam existentia ipsum esse est, et solum est; et non in alio esse, aut subjectum esse alterius, sed ipsum unum et solum esse: substantia vero non solum habet esse, sed et quale, et aliquid esse: subjacet enim in se positus qualitatibus; et idcirco dicitur subjectum. Quomodo igitur Deus, præexistente existentia, aut existen-